

POLONIAE REGNUM.

obambulantes : & nudi etiam Cycloperum more laborant. Bochniæ, ocreatis tantum, & braccis pudibunda velatis, qui fodiunt. Velisci quidem leuiori omnia opera constant. Bochniæ magnus in extrahendo labor est, cum quod multis in locis extrahitur, tum etiam quod ex altissimis fossis, interim per cuniculos trahitur, interim machinis subtus fabricatis, attollitur, donec hac & illac vario flexu per cryptas prouolutus, & sexies minimum subterraneis illis machinis sublatus, demùm ad supremi introitus fauces conuoluitur, ut claram in lucem attollatur. Cumque Velisci fossæ sint, præter cameras, alicubi octodecim scalarum altitudine, quarum nulla breuior sit octo cubitis, multis interim longioribus. Cõstat Bochniæ, præter primarum faucium immanem profunditatem, in altissimam fossam octoginta scalarum altitudinem durare, & quotidie fieri altiorem, innumera salis excisæ copia. Bochnianæ glebæ puriores, salioresque existimantur. Vtrobique per reliqui salis rupes, venæ quædam euagantur pellucidæ, & Chrytalli modo nitidæ, salis gemmæ, ut recentiores cognominant, cuius præcipuus est in medicinis vsus. Apparent & venæ extincto carboni nigrore similes, quarum materiam aurei pondere contritam & modico vino sumptam, aluum soluere aiunt. Mirum, verò inter tot fecundæ naturæ miranda opera, spectaculũ tanta altitudine solidos salis demitti montes, & cuniculis in tanta spatia adactis, ad lucernarum lumina moles subterraneas excuari. Nullus illic dies, nulla nox, sed vmbra tantum sine cœlo. Velisci non rarò ingentium sese templorum specie cameræ offerunt, immanibus salis columnis extantibus, quibus superiora solido & ipsa concreta sale ceu fornices quidam sustinendis montibus enati, imminent, grauissimo sese pondere, admira-


bili quadam operariorum industria librante. Bochniæ mille quingentorum pondus Germanicorum graues micæ extrahuntur, & interdum maiores cædi aiunt. Hæc autem Romana pondus tria millia æquât. Est & in hac terra aliud naturæ miraculũ, quæ apud Nochow & Paluky oppida ollas sua sponte fingit formatque, quæ è terra extractæ, ac siccata, ut factitiæ ollæ vtilis sunt. Sulphuris præterea hæc venæ sunt plurimæ, cum thermæ nullæ sint. Gens etiam (ut illud quoque obiter moneam) Sclauonico vitur idiomate. Polonia autem Silesiæ ad Occidentem contermina est, Prutenis & Moscouitis à Septentrione, ab Oriente Rhutenis, à Meridie Hungaris, Carpatho monte, quem Crapak accolæ vocant, interiacente. Incipit in Occidente sub gradib. longitud. 38. minut. 20. qui est meridianus vrbs Squitzinæ, desinitque in Oriente sub gradib. longit. 45. minutis 50. vbi est Lonza vrbs, à Meridie verò initium sumit sub grad. latit. 48. & min. 22. quo loco est Leweza oppidum, desinitque in Septentrione sub latitudine 53. grad. 40. mi. vbi Wosofcho ciuitas sita est. Subiacet itaque à principio octauo climatis, quod est per Boristhenis ostia, vsq; ad principium decimi, quod est per Tanais ostia. Vnde Parallellus eius Australis est 17. vbi dies prolixior horarum sedecim. Boreus autem est 20. vbi dies prolixior est horarum 16½. longa est itaque hæc Regio ab Occidente in Orientem milliariibus Germanicis 70. aut Italicis 180. lata autem à Meridie in Septentrionem milliari. German. 79½. vel Italicorum 418.

BOHEMIAE REGNUM.

Boiohemiae nomen vaticiniū seu fatum interpretatur Boiohemiae antiqui annales, eò quòd ea loca Libyssa quaedam mulier fatidica habitaret. Sclauī autem qui tum has partes intuebant ad occupandum, Boëmiam vocarunt, quod sic vaticinium ipsi appellarent. Verùm nominis rationem nos verius intellecturos puto, si prius veteres huius regionis colonos considerauerimus. Boij enim Galliae populi fuere, haud procul ab Insubribus disiti: ij à Cæsare victi Gallia excedentes, Italiam transcenderunt, quos Romani finibus eiecerunt. Inde trans Rhenum in Germaniam profecti, Hercyniae syluae incinctos incoluerunt cāpos, à quibus regio Boiohemii nomen accepit: quod vocabulū si interpreteris, significat Boiorū patriā seu domicilium (de *Boioheim*) nunc corruptus Bohemia. Hos Boios è boiohemo potentissimus Sueuorum populus Marcomanni depulit, paulò ante Iulij Cæsaris aduentū, qui non solū in locum, sed etiam in appellationem Boiorū successit, vt boici. i. boieri fuerint appellati, hodie bauari ij corruptius vocantur, de quibus suo loco plura. Eiectis tandem è boiohemo etiā Marcomannis, Quadisque, Sclauini, Scythica & barbara gens intrauerunt, quos ab occupato boiohemo vulgus bohemos vocat. Eorū autē historiā sic recenset Volaterranus lib. 7. Dicūt, inquit, ex Croatiae populis in Dalmatia duos egressos esse fratres Ozechium & Lachen, alterum versus Orientem & Septentrionem tractum tenuisse: vbi planities latusque campus erat, quem eorū lingua *Boie* dicunt, ex eoque Poloniam terram cognominasse. Alterum Ozechium in Germania ad Albim flu. consedisse, montanaeque loca circa occupasse, vbi mulier fatidica Libyssa nomine agebat, locumque Boëmiam ex eo vocasse, quod sic vaticinium ipsi appellarent. Ego verò originem habuisse à Dalmatia, ob morum & linguae similitudinem, non negauerim. Verum eos vetus tenuisse nomen, verisimile magis fuerit, quàm nouum mutuatos. Boij itaque antiqui nusquam extant, nominis eorum vestigia & haec regio & bauariae gentes retinere etiamnum. Hermunduros etiam hoc loco olim habitasse meminimus, in Misniae descriptione, coniectura non leui inde sumpta, quod Tacitus testatur in Hermūduris Albim nasci. Longobardorum ac Semnorum, Sueuorum populos huius tractus partem olim habitasse, ex Ptolomæo & Velleio colligi potest, qui vltra Albim etiam eos collocant. Vnde videtur in Lusatia ac Marchia Brandenburgensi sedes habuisse. Postmodum verò Longobardi maris insulas ingressi sunt, ac demum Italiae partem inuaserunt, quo etiamnum loco haerent. Hodierni Bohemiae incolae, vt dictum est, Sclauī sunt: quorū etiam idiomate vtuntur. Habet hoc regnum vltra 30. vrbes immediate regno subiectas, reliquas autē Principes regni, Primates, Barones, Comites atque Nobiles sibi vendicant. Praga Casurgis Ptolomæo regni caput est, ad Muldauiam amnem sita. hic regia aula, ac archiēpiscopatus est: vniuersali

olim studio floruit, id hodie Lipsia Misniae ciuitas obtinuit. Egram urbem à cognomine sibi flu. habet, in veterū Nariscorum sedibus, loco, arte ac natura munitissimo sita: vtpote quae maxima sui parte natiuae rupi superstructa sit. Intra mœnia ambitum continet 2. miliariorum, extra autem mœnia 3. nec procul ab vrbe fons est aquae acidae, saluberrimae, quam eius Incolae bibunt avidissimè: praeter hunc autem potum & cereuisiam, Medo etiam, qui nusquam lautior, meliorque conficitur, affatim exhauritur. Litomeritium vineta habet. Kuttenbergium argentifodinis diues est. Launum frumenti fructuumque reliquorum prouentu foelix est. Gattavensium casei, Rakonicensium verò cereuisia commendantur. Bernum autem ferrifodinis ac sclopetis nobile est. Landtzhutensium ager gemmifodinis celebratur. Gilouuium in superauri, Rummavv argenti, Graupenum stanni, Schombachium argenti viui, Linstadium plumbi, minæris foecundae sunt. Pardubitzenses autem gladij ac enses magno vbique pretio sunt. Aëre, quod perpetuis a quilonis flatibus exposita sit regio, fruuntur duriore ac frigidiore, nec tamè insalubri. Regio Hercynia sylua vndique cingitur, Albi ac Muttavia irrigatur, quorum infra mentio fiet. Ager ipse hordei & tritici ferax, pabulo, pecore, ac piscibus abundat. Ferarum etiam ingentem habet copiam, ob sylvarum frequentiam, quae vulpium, vrsorum, ceruorum, ac vrorum seu bubalorum, quos Lomi ipsi sua lingua vocitant, assiduam venationem praebent. De hac autem fera quae Lomi ipsi vocitant, perhibent, quod venata vesicam (quae largam infra mandibulam in collo pensilem habet) aqua calidissima, dum canes insequentes fugit, impleat, eosque hac cum potestas datur, inspergat, qua quicquid tactum fuerit, adurit, non secus ac si feruenti aquae fuisset immersum, vt & pilos & cutem absumat. Metalliarum ac mineralium, item aromaticarum rerum pharmaceuticę inseruentium ditissima regio est: olei tamen, quemadmodum & reliqua Germania sterilis est. Vino non omnino caret, verum austerum ac paulò acidius gignit. Ditiores autem nobiliori ac delicatiori vtuntur, ex Austria & Hungaria importato. Vicissim ipsi cereuisiam quam coquunt, praestantissimam in eisdem regionibus exportant. Thermis quoque calidis & salubribus non destituitur hoc regnum, quarum copiam praebent. Elenbogium & Teplitza, Sudetae montes Boëmiā cingunt, partim longè introrsus pertinent, ac regionem ipsam ferè intersecant, partim extra eam etiam Meridiem versus & Occidentem excurrunt. Mons Pinifer à pinuum, quos profert abundantia, hic in Nariscorū ora situs est, oriens in montanis Marchionis Brandenburgensis, inter Franciam Orientalem, Voilandiam ac Bohemiam, intra spatiū duum ferme milliū passuū, quatuor inclytos amnes non sine admiratione & naturae maiestate effundit in quatuor orbis cardines, Mœnum videlicet Francicum, Salam Toringicum, Nabum Boioaricum, Egramque Bohemicum. Idemque mons, auri, argenti, argenti viui,

CHOROGRAPHIA IN SIGNIS REGNI BOHEMIÆ, AVTHORE IOANNE GRIGVIGERO.



Descriptio praeclara Coronae Bohemae cum civitatibus ac suis claustris locisque bene praeparatis. Terra sane fructifera satensque numis aureis atq; argenteis. Conclufa est etiam vastis montibus ac syluis. Locuda ibi est propria Germanica ac Bohemica, quae postrema sese refert cum omnibus linguis Viandalorum. Anno 1086. Regio haec in Regnum, et insignis civitas Praga in Archiepiscopatum procreata sunt.

Mil.	Ger.	Mag.
2.	3.	4.
2.	4.	5.
4.	5.	6.
5.	6.	7.
6.	7.	8.

Bavaria Pars
Lomae à Deutcu Lucas à Deutcu Faerunt

BOHEMIAE REGNUM.

ferri, sulphurisque minæris foetus. Gemmarum etiam fodinas exhibet. vnde proverbium ortum, quo dici solet: sapenumero in monte Pinifero vaccam lapide peti, qui vacca sit pretiosior. Syluis regio tota tanquam natiuo muro circundatur: cuius pars ea quæ inter Occidentem & Septentrionem porrigitur, Gabreta sylua Straboni dicitur, portio verò qua à meridie ad Danubium vsque pertingit, Luna sylua Ptolemæo vocatur, hodie Passauica sylua, *der Passauerwald*, versus Occidentem, qua Morauia contigua est, *der Schieb* vocatur. Fluminibus irrigatur plurimis. præcipuum est Albis, reliqua sunt Egra, Multauiæ, Saxana, Orlioze, Lufinitius, Misa, Gutzera. hi omnes in Albim egrediuntur. Vvatto, Vvatta, Satzavva, cum nonnullis alijs in Multauiam exonerant. Vndique hæc regio Germanis populis septa est. Terminatur enim ad Septentrionem Silesijs ac Misnensibus, ad Occasum Voilandia, Norico agro ac Palatinatu superiori, ad Austrum Bauaria ac Austria, seu Pannonia inferiori, ad Ortum Morauis ac Silesitarum

parte, qui omnes Germani sunt. Initium eius est ab occasu sub longitudinis gradibus 29. & 35. minutis, sub quo meridiano Egra vrbs locatur, finiturque ad Oriente sub gradib. longit. 34. minut. 50. quo loco est Landskron. Ab austro incipit sub gradibus latitudinis 48. & minut. 50. Vbi Rosenburgum situm est, desinitque in Septentrione, sub gradibus latitudinis 50. & min. 35. quo loco est Gretz oppidum. Subiacet itaque à principio octauæ climatis, quod est per Borysthenis ostia, vsque ad finem eiusdem, i. per mediâ Mæotim. Parallellus igitur eius Australis est 17. ac proinde diei prolixioris longitudo horarum 16. Boreus autem parallellus est 18. ibidemque dies prolixior horarum 16. aut paulò plus. Vnde regio colligitur ab Occasu in Ortum, hoc est, in longum habere milliaria Germanica 41. aut Italica 164. ab Austro autem in Boream milliaria Germanica 26. aut Italica.



MORAVIAE ET SILESIAE TABVLA.



Silesiam à cognomine sibi amne nomen accepisse tradit
Conrardus Celtes libro Amorum secundo, Elegia
quinta.

Hic Odera (à priscis qui nomina Sueuus habebat)

Nasitur, & Codani præcipitatur aquis.

Sueuus, qui Slesum socium sibi conuocat amnem,

A quo nunc nomen Slesia terra gerit.

Malunt alij ab eiusdem nominis rege deducere hoc nomen, *And,*
Althamerus Silesios de Elysijs Sueuorum populis existimat nuncu-
patos, eosque Selignos quoque appellatos tradit. quos, cum eo loco
habitasse colligere liceat, in Silesiorum eos nomen transisse, verissi-
mile est, facta literarum Methathesi ac S. præfixa. ij Lygiorum, Sue-
uorum gentes fuere, quod Tacitus ostendit: numerosa gens, suis di-
stincta nominibus, Arij, Helueconæ, Manimi, Elysijs, Naharuali. Hæ
omnes Sueuorū gentes post Hermunduros, Marcomannos, Quados
& Bohemiam, versus Eurum ad Danubium siti, in ipsa Slesia regione
amplissima, Pannoniæ finitimi federunt. Teschnemsem autem ditio-
nem iuxta Carphatum montem ad Vistulæ flu. Caput, Moraviæque
contermina, Luti, Burijque habitarunt. quo loco Parmecampos Pto-
lomæus statuit. Marsigni Sueuorum quoque populi indubiè hunc
Silesitarum tractum tenuere prope Nissam urbem, vbi à Ptolomæo
Maruinges Curionesque locantur. Quados præterea etiam Silesiæ
Marauaniæque loca habitasse conijciunt nonnulli, quorum sedes
Ptolom. lib. 2. cap. 11. ad Hercyniam syluam fuisse positas refert.
Inquens: Sub Hercynio nemore Quadi, supra quos ferriminæra &
& Luna sylua: quos tamen Marcomannis Boëmisque Occidentali-
res facit, cum Marauani ac Silesiæ ipsdem Orientaliores sint. Vnde
crediderim circa Voitlandos potius sedes horum antiquas quærendas
esse. De Silesitis tamen hæc sunt quæ beatus Rhenanus refert. Indu-
bium est, inquit, hæc gentem aliunde ex remotiore Aquilionaris Ger-
maniæ parte emeruisse, & Quadorum interiora partim loca tenere.
Equidem Quados adhuc Danubij ripæ prætexi, cōtra Vindebonam,
quam truncato vocabulo Viennam appellamus, à vero non abhorret:
tamen nomē obsoluerit. Silesiæ olim proprijs suis ducibus paruere,
iam verò Bohemiæ regno magna ex parte subsunt. Sermo gentis
Germanicus est, quamuis vltra Viadrum flu. Polonicus præualeat.
In duos regio ducatus seu comitatus diuiditur. Lignitzensem alterum
præpotentem ac diuitem: Schweidnitzensem alterum, qui Coronæ
subest Bohemiæ. Urbium amplissima est Wratislauia, Budorgis, Pto-
lomæo, vulgò Breslaw dicta. Episcopalis & Metropolis, priuatis,
publicisue ædificijs magnificè ornata, ad Oderam sita est. Hanc se-
quitur claritate Nissa, Episcopalis sedes, quam cognominis flu. alluit.

inde Glogouia maior Signitium, Oppelia Sueuicium & Suibissa à
Sueuis forsan cognominata, ac complures aliæ, quarum omnium
loca situmque in tabula perspiciet qui volet. Aër quamuis paulò fri-
gidior, vtcunque tamen mitis clemensque. Regio ipsa à principio
vastæ Hercyniæ syluæ (quæ Danubium recta sequitur ad fines Daco-
rum vsque) portio, vt tota plana introrsus, ita & montibus collibusque
vallata & circumdita extrorsus, ac nemorosa fuit. Sed temporis pro-
cessu sparsim vicis habitari cœpta est. vbi autem fidem Catholicam
incolæ amplexi sunt, constitutis oppidis, ad mitiorem cultum est re-
ducta. Ager quod crebris torrentibus ac riuulis è Bohemicis montibus
profluentibus irrigetur, fertilis admodum est. Vinum producit mo-
dicum, quamuis austerum, in Crofnensi agro, quod tamen vt pluri-
mum per Viadrum fluuium in Prussiam euehitur: ipsi verò Morau-
co, Hungaricoque importato maximè vtantur. Vulgus cereuisiam
porat. Annonæ hîc magna facilitas. Ora Lygiorum circa Luzatiam
ac Bohemiam montes minærarum æris fœcundissimos habet. Car-
pathus quoque qui & Sueuus mons vastissimus, per Silesitas, Mara-
uaniosque in Pannoniam ac Sarmatiam protenditur: auri, cupri, ac
reliquatam minærarū copiam præbet. Thermas habet prope Hirsch-
bergum ad Zackam flu. Syluis, vt iam monuimus regio vndique
conspergitur, eæ Hercyniæ portiones sunt. Fluminibus cum rigetur
plurimis, tamen Viadro flu. tanquam principe, omnes corriuantur,
cuius hic fontes visuntur: in Moraviæ conterminis, iuxta Gieke op-
pidum, haud ita procul ab Olomuntia distans. Oneratur enim Neissa
duplici, Polsnitza, Katzbacho, Bobero, ac propemodū infinitis alijs.
In ipsdem etiam terminis Vistulæ quoque fluuij fontes cernuntur,
qui inde per Poloniam fertur, cuius alibi meminimus. Terminatur
verò Silesia ab Ortu Polonia, à Meridie Morauia, & Bohemia, ab
Occasu Misnia & Lusatia, à Septentrione Marca antiqua Brande-
burgensi. Initium sumit ab Occidente sub gradibus longit. 37. mi-
nutis 40. qui Tribellensis est Meridianus, desinitque sub gradibus
longitudinis 42. & 19. minut. sub quo meridiano Bylitz oppidum
est. Ab Austro verò incipit sub gradibus latitud. 49. & minut. 44.
vbi Iablumka oppidum videre est, ac in Septentrionem protenditur
ad gradus latitud. 52. & minuta 11. qui est Suibosni oppidi latitudo.
Est itaque post medium octauum climatis, quod est per mediam Mæo-
tim, vsque ad medium noni climatis, quod est per Rheni ostia. vnde
Parallellus eius Australis est 18. diesque prolixior ibidem horarum
16¼. Septentrionalis autem est 20. ac dies ibidem prolixior horarum
16¾. Habet itaque regio in longum, hoc est, ab ortu in Occasum
milliaria Germanica 39. aut Italica 156. In latum autem est ab
Austro in Boream milliaria Germanica 38. seu Ital. 152.